



Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 8. Ob tot terræ beneficia, gratitudinem nostram exigi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

metalla fert; aut, si neque ista, saxa præbet,
quæ pretijs venduntur, in statuas, aut co-
lumnas elaboranda. Deniq; in id varia est
terra, vt alibi materiam suppeditet ædific-
andi, alibi medicinas subministret, alibi
jumentis pabulum, alibi hominibus cibum
pariat, ac ipsa hac varietate delectet.

§. VIII.

*Ob tot terra beneficia, gratitudinem no-
stram exigi.*

Hac de cauſa D: Basilius docens, quo- S. Basil.
orat. 9.
cunq; oculos quis circumferat, beneficen-
tiæ fontes semper patentes videre: ad terrā
denique aspiciens, affirms eam hominis
pedes pro fulcimento subire, at fructus
omnes vni tandem homini gignere. Nam
etsi bestia in huius muneris communionem veni-
unt, ait, homini tamen principaliter mensa tel-
luris adornata est. Ideoq; Lyricen Propheta
nouit, dum lyram pulsat, producens, inquit, fa-
num jumentis, & herbam servituti hominum.
Bestiarum genus alit, & hominis famulitum,
quod eorum alimenta, hominis sint honesta-
menta. Idem, in his omnibus plurima Dei
beneficia, ac hominis jucundas utilitates
agnoscens, ait, alio loco: *Si quando latius* Idē Basil.
arridet vita institutū, illam depromamus Da- hom. 5.

H h

uidis

Ps. 115. 12. uidis vocem: Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Ex nihilo effect, ut essemus, ac produxit; dono rationis ornant; inuentum artium ad vitam tuendam gratitudo contulit. E terra visceribus alimenta eduxit. In ministerium dedit omnigenū pecus. Propter nos imbres, sol, montana, campestrisq; regio pulchre exculta. Propter nos amnes fluunt; promanant fontium scatebra; mare ad negotandum naues admittit; è fodinis effodiuntur opes. At quid opus est, hæc persequi? Deus ipse salutis nostræ cauſsa, inter homines conuersatus est; Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; sol ipse justitiae medius eorum factus est, qui sedent in tenebris. Vita ipsa venit ad mortem, mortem autem crucis: ob mortuos resurrexit; Spiritus S. charismata distribuit: multiplices coronas promisit; delicias Paradisi, regni cœlestis gloriā; & cetera, quæ numerari non queant. merito ut exclamemus. Quid retribuem⁹ Domino, pro omnibus, quæ retribuit nobis?

CAPVT XVIII.

Varij modi, variæq; cauſſæ, ob quas terrena elementum indolem mutat, & verò, suapte natura immobile, tremit.

§. I.